



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XV. De Defectibus Animæ à Christo assumptis. In decem Articulos
diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Aduerte; Hos defectus etiam futuros fuisse in statu nude naturæ; nam sequuntur naturalem corporis compositionem. Non tamen dicerentur tunc contrahi; quia non ex aliquâ causâ accessoria & extrinsecâ traherentur: sicut modo dicuntur contrahi, quia ex peccato consequuntur.

Deipara contraxit.

Petes; An Beata Virgo dicenda sit contraxisse hos defectus? Respondeo; contraxisse: Quia etsi non sint secuti ex peccato quod habuit; secuti tamen sunt ex peccato, quod habuisset, nisi præuenta fuisset: peccauit enim & ipsa in Adamo. Vnde & necessariò peccatum originale incurrisset, nisi præuenta fuisset.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit?

Respondetur; Christus non assumpsit omnes defectus seu infirmitates humanas; sed eos tantum qui sequebantur naturam, & ex peccato

comuni totius naturæ; nec tamen perfectioni scientiæ, vel gratiæ repugnabant.

Vnde Primò, Non assumpsit ignorantiam, nec procliuatatem ad malum, vel difficultatem ad bonum. Nam etsi hæc sequantur peccatū originale, tamē impediunt opus Redemptionis, & dedecent Christum, & repugnant perfectioni, scientiæ, & gratiæ.

Non assumpsit ignorantiam.

Secundò, Non assumpsit vllum morbum; vt febrim, apoplexiam, lepram, paralysin &c. quia hi morbi non sequuntur immediatè ex peccato originali, aut ex conditione naturæ nude; sed ex particularibus causis, scilicet ex præuâ humorū temperie, vel ex aliquâ imprudentiâ aut ignorantia in regimine corporis. Vnde sequitur Christum naturæ relicto, fuisse moriturum sine vilo morbo, naturali extinctione caloris natiui, & cōsumptione humidi primogenij.

Nec Morbos.

Tertiò, Similiter nec assumpsit cæcitatem, surditatem, aut vllam deformitatem. Nam hæc ex particularibus causis sequuntur: nõ autem immediatè ex naturâ nudâ, vel peccato originali. Adde; Hæc minime decuisse Christum; nec quidquam conferre potuisse ad nostram redemptionem.

Nec Cæcitatem, &c.

QVÆSTIO XV.

De defectibus Animæ à Christo assumptis.

In Decem Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo fuerit Peccatū?

Nullum in eo fuit peccatum.

Respondetur; Nullum in Christo fuisse peccatum, nec paruum, nec magnum. Est certum & fide tenendum.

Probatur Primò, Ex varijs Scripturæ locis Ioan. 8. v. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 14. v. 30. Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 2. ad Cor. 5. v. 21. Eum, qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum, id est, hostiam peccati: quomodo Olee 4. Sacerdotes dicuntur manducare peccata populi, id est, hostias pro peccatis oblatas. Isaia 53. Qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ad Hebr. 4. Tentatus per omnia pro similitudine absq; peccato. Et c. 7. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. 1. Petri 2. v. 22. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Idem patet ex Concilijs, & omnibus Patribus.

Tribus de causis assumptis nobis de factis.

Probatur Secundò Ratione: Primò, Christus assumpsit nostros defectus ob tres causas. Prima, Vt pro peccatis satisfaceret. Secunda, Vt veritatē naturæ humanæ demonstraret. Tertia, Vt præberet perfectū exemplum omnis virtutis. Atqui peccatum ad nihil horum præstandū iuuabat, sed potiùs impediabat satisfactionem pro nobis, & exemplum virtutis. Dices; Debebat dare exemplum penitentis, sicut Dauid; ergo &c. Respondedo; Deditse perfectissimum exemplum penitentis, dolendo non de suis, sed de alienis peccatis; & pro illis satisfaciendo.

Peccata sustulit.

Secundò, Christus venit vt omnino tolleretur peccatū; ergo non oportebat vt illud admitteret. Vnde ad Hebr. 7. v. 26. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à

peccatoribus, & excellor cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit semel, se offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisurandi qui post (Græcè κατα, supra) legem est, Filium in æternum perfectum.

Tertiò, Christus venit vt daret nobis legē, & ostenderet viâ perfectionis. Vnde Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi? Prorsus autem indecens fuisset, si vel contra suam legem, vel perfectionem vitæ, aliquid admisisset.

Ostendit vim perfectionis.

Quartò, Quia à principio fuit perfectus gratiâ, & visione beatificâ: ergo omnino impeccabilis. Ex his patet, Christum non tantum non peccasse, sed iuxta legem ordinariam ne potuisse quidem peccare. Sed est

Fuit ab initio perfectus.

DVBIVM.

An nullo modo fieri poterit vt Christus in naturâ assumptâ peccaret?

Drandus in 3. d. 12. q. 2. existimat humanitatem Verbo vnitam potuisse per absolutam Dei potentiam permitti peccare; & hoc peccatū, per communicationē idiomaticam potuisse tribui Deo: ita vt Deus diceretur peccare, sicuti dicitur pati, mori, resurgere. Eandem sententiam insinuat Scotus eadem dist. q. 1. vbi docet ratione beatitudinis Christum non potuisse peccare; non tamen ratione solius vnionis. Quamquam Scotus rectè posset intelligi, vt nimirū loquatur de nudâ vnione, ita vt illius ratione, nullū auxilium proueniat humanitati. Gabriel autem eadem dist. admittit quidem naturam assumptam peccare potuisse, sed hoc peccatum Deo non tribuendum.

Drandus.

Scotus.

Gabriel.

Hh iij Sed

*Fuit Im-
peccabilis*

Sed Respondendum est; Humanitatem Christi ratione vnionis ita esse confirmatam in bono, vt omnino impossibile esset ipsam peccare. Est certa & communis Doctorum. D. Thomæ hoc loco, & in 3. dist. 12. vbi idem docet Magister, Bonauentura, Richardus, Paludanus, & alij.

*Ex Scri-
pturis.*

Probatur Primò, Ex Scripturis suprâ num. 1. allatis, quæ intelligendæ sunt secundum perfectissimum sensum: id est, quod non solum non habuerit actu aliquod peccatum; sed etiam quod non potuerit habere. Quidquid enim de Deo dicitur, *non ego* vt exponendum est; vt multis locis docet Dionys. lib. De diuinis nominibus c. 1. & de mystica Theolog. c. 1. &c.

*Ex Patri-
bus.*

Dionysius.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Dionysius lib. De Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. parte 3. *Si ad ipsius societatem, inquit, aspiramus, oportet nos assidue in sanctam eius vitam, quam in carne egit, in-
tueri; & imitatione ipsius sacra impeccabilitatis, ad
Deiformem & irreprehensibilem habitum recurrere.*

Irenæus.

Irenæus lib. 3. c. 5. dicit Christum non potuisse mentiri, quia erat veritas: ergo similiter quia bonitas, non poterat peccare.

Ambros.

Ambrosius lib. De Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 7. docet nõ esse timendum ne anima Christi peccaret: per vnionem enim cum Verbo, factam esse im-
peccabilem, & peccata nostra sustulisse. D. Augu-
stinus lib. De correptione & gratiâ: *Ipsa susce-
ptio talis erat, vt natura hominis à Deo suscepta, nul-
lum motum mala voluntatis admitteret.* Et lib. 1. con-
tra duas epist. Pelagianorum cap. 8. *Non ob aliud
factus est mediator, nisi quia solus ex hominibus non po-
tuit esse peccator.* Idem colligitur ex lib. De præ-
dest. Sanctorum c. 15. Hilarius lib. 1. De Trinit.

August.

Paulò post principium, multa habet in hanc sententiam, quibus ostendit peccatum Christo omnino repugnare. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo,* cap. 9. 10. & 16. aperte docet fuisse impeccabilem propter vnionem. Idem docent Patres Græci. Origenes apertissimè lib. 2. *περὶ εὐαγγελίου* cap. 6. Athanasius lib. De Incarnat. Verbi, post mediũ. Cyrillus lib. De fide ad Theodosium non procul à principio, & dialogo 6. de Trinitate. Damascenus lib. 3. De fide cap. 19. Hi omnes docent causam, cur humanitas Christi nõ posset peccare, fuisse vnionem hypostaticam. Vnde patet etiam si non habuisset visionem beatificam, tamen impeccabilem futuram fuisse.

Hilarius.

Anselmus.

*Græci
Patres.*

Probatur Tertio, Ratione; Quia si humanitas Christi vnita Verbo, posset peccare, Deus posset peccare: atqui hoc est falsum: ergo. Dices; Peccatum omnino repugnat Deo, & ideo non potest ei villo modo tribui. Contrâ; Si intelligas *repugnare Deo*, id est, diuinæ naturæ; Sic etiam mori *repugnat Deo*; & tamen rectè dicitur *Deus mori, & crucifigi*. Si autem, ipsi hypostasi per communicationem idiomatum; petitur principium. Cur enim repugnat hypostasi, si naturæ in illa hypostasi existenti conuenit? præsertim cum actiones tribuantur supposito, tamquam principio quod; naturæ, vt principio quo. Vnde Durandus concedit Deum posse peccare per communicati-
nem idiomatum, sicuti potest mori.

3

*No quidem
per commu-
nicationem
idiomatum
Deo tribui
potest pec-
catum.*

Sed hoc nullo modo posse admitti, Probatur Primò, Quia est contra modum loquendi Conciliorum & Patrum. Secundò, Quia sequuntur hinc magnæ blasphemie; Deus peccat. Deus seipsum odio habet.

Deus est odio & damnatione dignus. Deus seipsum negat, &c.

Tertio, Si Deus peccaret per naturam assumptam, non solum per communicationem idiomatum tribueretur ipsi peccatum, sed etiam in ipsam diuinam voluntatem culpa redundaret; quod est hæreticum. Quod probatur; Quia quando plures naturæ conueniunt substantialiter in vnum suppositum, officium & munus supremæ voluntatis illius suppositi est, continere in officio & honestate omnes appetitus, & vires inferiores illius suppositi; adeo vt contra honestatem faciat, si hoc negligat; aut permittat inferiores appetitus in malum ferri, quando potest impedire. Atqui per vnionem hypostaticam humanitas fit propria natura Verbi; & in illo supposito suprema voluntas est diuina, quæ potest regere inferiorem, scilicet humanam, eamque intra limites virtutis continere; ergo ad officium diuinæ voluntatis pertinebat hoc facere, ita vt si ommitteret, culpa illi imputaretur.

*Redunda-
res hoc pe-
ccatum in
ipsam diu-
nitatem.*

Maior probatur Primò, Exemplo hominis, in quo est natura sensitiua & rationalis, & idcirco tenetur per voluntatem rationalem regere appetitum inferiorem, reliquasque vires inferiores. Secundò, Quia ex vnâ vel multis naturis & supposito, fit simpliciter & absolute vnum ens; in quo, id quod operatur, est suppositum; id quo operatur, est natura, eiusque potentia. Ergo cura & obligatio benè regendi omnes vires, pertinet ad suppositum quod potest; & ad eas vires per quas id potest: ergo si exorbitent vires inferiores à recto, imputatur supposito, & illi potentia per quam potest. Tertio, Rectus ordo postulat vt in vnâ personâ sit vnum supremum principium, cuius sit regere vires inferiores illius personæ; alioqui esset magna confusio in vnâ personâ. Quarto, Suppositum diuinum supplet vicem suppositi humani. Atqui suppositum humanum ad hoc tenebatur, quantum poterat per omnes vires illius suppositi: ergo etiam suo modo suppositum diuinum, & voluntas diuina, ad hoc obligatur. Dico, *suo modo*, quia non obligatur ad hoc aliqua lege; Sicut persona humana, quæ lege naturali tenetur: sed naturâ suâ ad hoc est voluntas diuina determinata; sicut ad dicendum verum, & omne id, quod ratio veritatis postulat. Potest tamen dici Verbum obligari, quatenus est suppositum humanum, & ratione humanæ naturæ.

Quarto denique, Deus non potest operari ea, quæ ipsum dedecent; ita vt nullam rationem habeant honesti, neq; ad vllum bonum finem fieri possint: atqui peccare in propria naturâ assumptâ, est tale: ergo &c.

Sed contrâ. Objicitur Primò, Permissio talis peccati poterat esse bona; sicut in alijs hominibus permittere peccatum, est bonum: Confert enim ad ostensionem libertatis, ad commendationem gratiæ postea erigentis, & ad maiorem laudem bonorum operum: præsertim si is qui potuit transgredi, non est transgressus. Eccl. 31. v. 10.

*4
Soluantur
obiectiones.*

Respondeo; Permissio peccati in alijs hominibus est bona, ob multas causas; non tamen in naturâ assumptâ: quia voluntas naturæ assumptæ, est voluntas Dei; & ita voluntas Dei peccaret; in quod peccati redundaret in voluntatem increatam, & in personam diuinam: vt ostensum est. Ex permissione autem peccati in alijs voluntati-
bus, nihil

*Permissio
peccati
bona est in
alienâ, non
autem in
assumptâ
naturâ.*

bus, nihil sequitur quod minus deceat Deum: habet enim se ad illos non vt suppositum, sed vt rector & causa vniuersalis, cuius est permittere res agi suis motibus.

Obijcitur Secundo, Si Angelus assumeret naturam humanam, & per illam peccaret; tale peccatum non redundaret in Angelicam voluntatē: ergo neque hīc in diuinam.

Respondeo; Concesso antecedente nego consequentiam: non enim est par ratio; Nam voluntas Angelica non potest moderari suo arbitratu humanam, sicut potest voluntas diuina. Nam voluntas humana non regitur efficaciter à causā externā, nisi à voluntate diuinā. Si tamen ille Angelus non faceret quantum posset ad suam voluntatem humanam à peccato custodiendam, malè faceret, & Angelicā voluntati imputaretur.

Obijcitur Tertio, Verbum poterat assumere naturam humanam nudam, eamque solis naturæ viribus permittere: atqui tunc poterat esse in illa natura aliqua inconsideratio, quæ est ferè tota radix peccatorum: ergo etiam inconsiderata voluntas & operatio. Confirmatur; potuisset esse error seu falsitas in intellectu: ergo etiam prauitas in voluntate.

Respondeo; Etsi Deus potuisset assumere naturam humanā sine vllis donis supernaturalibus, non tamen sine illa prouidentia & custodia, quæ necessaria erat ad illam infalibilibiter ab omni peccato præseruandam. Hæc enim prouidentia & custodia necessariò debita est illi naturæ ratione vnionis; vel potius, hoc Deus debet infinite suæ puritati & sanctitati; ob rationes dictas.

Ad confirmationem dici posset; errorem non esse tantum malum, quantum peccatum; cum non auertat à Deo, quando non est voluntarius. Verius tamen est non potuisse vllō modo errorem alicquem esse in intellectu naturæ assumptæ: quia error est talis imperfectio, quam quilibet prudens vitare debet in proprio intellectu, quantum potest: neque est vlla honesta ratio ob quam possit admitti.

Obijcitur Quarto, Deus potuisset assumere naturam ex Adamo per femineale propagationem; ac proinde contrahere peccatum originale. Item potuisset assumere naturam alicuius hominis in peccato originali, vel mortali existentis; ac proinde illud peccatum retinere. Quo casu diceretur peccator.

Respondeo Negando sequelam; si enim naturam ex Adamo naturaliter propagatam assumpsisset, prius naturā illam sanctificasset, quam infecta fuisset. Nam anima prius naturā vnitur Verbo, quam corpori; vt supra q. 6. a. 3. At non contrahit peccatum originale, nisi ex contagione corporis; quia non antè contrahit peccatum, quam existat integer homo, & Adæ Filius: ergo non potuisset vllō modo peccatum illud contrahere.

Confirmatur; Quia prius vnitur Verbum toti humanitati, quam ipsa possit suscipere peccatum; vt patet ex dictis supra quaest. 7. Quod si assumpsisset eam naturam, quæ iam erat in peccato originali, vel mortali; necessariò hoc ipso illud peccatum deleuisset. Ratio est, Primo, Quia per gratiam vnionis, illa natura fuisset summè dilecta: atqui omnino impossibile est, vt cum summā dilectione consistat summum odium, vel saltem absoluta inimicitia. Secus est de gratia creata, quæ non

facit summè dilectum: vnde neque omnino necessariò delet peccatum. Potentius enim est peccatū ex natura sua vt reddat exosum, quam omne donum creatum ex præcisa naturæ conditione, vt reddat dilectum. Verum gratia vnionis potentior est ad dilectionem, quam omne peccatum ad odium. Deinde; quia natura per vnionem accipit summam excellentiam, imò deificatur, & consequenter quidquid in ipsa est: atqui hæc excellentia repugnat peccato. Denique; peccatum tale est, vt nullo modo honestè amari possit, aut prudenter à quopiam (qui illud potest à se auertere) permitti. Ergo fieri nequit vt permittatur in naturā humanā.

Hinc Sequitur, neque vitiorum habitus, qui tamen in iustificatis possunt remanere, assumi potuisse; quia nihil habent, cur aliquis prudenter in se illos possit permittere, quando facile potest abolere. Quare si Deus naturam humanam alicui peccato, vel habitui vitioso subiectam assumpsisset (quod sanè contradictionem non implicat) necessariò in ipsa assumptione penitus purgata & sanctificata fuisset. Vnde Tertullianus lib. de carne Christi ait: *Etsi carnem peccatricem assumpsit, faciendo tamen illam carnem suam, fecit non peccatricem.*

De reatu peccati, Vtrum assumi potuerit, dubitatur à Doctoribus recentioribus. Sed non est improbable potuisse assumi. Nam hic reatus nihil aliud fuisset, quam obligatio satisfaciendi pro peccato in natura ante assumptionem admisso: vt si Verbum assumpsisset naturam, quæ ante extiterat in Petro, in eoque peccauerat; deleta quidem fuisset in assumptione culpa omnis, reatus tamen potuisset retineri. Nam hæc obligatio intrinsecè nihil indecens habet, cum sit ad actum virtutis: sicut patet ex obligatione satisfaciendi, quam nostrā causā suscepit. Etsi enim Verbum non possit contrahere reatum per actionem, quæ ipsi vt supposito tribuatur; posset tamen per actionem naturæ assumptæ, quam ipsa habuit in sua persona ante assumptionem. Aduerte tamen hunc reatum, quantumcumque esset, posse vnico actu satisfactorio tolli; quia infinitam vim satisfaciendi habet.

Obijcitur Quinto, Natura vnita Deo per gratiam habitualement, potest peccare: Nam hoc ipso quo peccat, gratia perit, & vnio dissoluitur. Ergo similiter, si ponamus vnionem hypostaticam eo ipso momento dissolui, non erit impossibile naturam assumptam peccare.

Respondeo; Positā illā hypothesi, Nego Consequentiam: Quia vnio hypostatica constituit ipsam personam, cui tribuitur omnis operatio illius gratiæ, & quæ necessariò tamquam suppositum influit in opus. Vnde necesse est, eo ipso momento, quo actio peccati elicitur, ipsam vnionem adhuc existere; quia actio elici non potest nisi à supposito: ergo fieri nequit, vt eo ipso instanti, vnio sit dissoluta. Secus est in gratia habituali; quia hæc non constituit personam operantem, nec influit in opus peccati. Vnde primum momentum quo peccatum existit, est primum momentum, quo gratia non existit, supposito perseverante eodem.

Si Angelus in assumptione natura non resisteret peccato natura quantum posset, peccatum illi imputaretur.

5 An Christo potuerit inesse inconsideratio.

An error.

6 An potuerit assumere naturam in peccato in secliam.

Prius erat delendum peccatum, quam naturam eo infectam assumere.

7 Nec habitus vitiorum potuit assumere.

Potuit reatum peccati.

Cur potius peccari possit cum gratia habituali, quæ cum vnione hypostatica.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerit Fomes peccati?

Respondetur Negatiuè. Notandum est; Fomitentem nihil aliud esse nisi inordinatam inclinationem, non tantum appetitum sensitiuum (vt quidam volunt) sed omnium virium anime, quæ de libertate participant; vt intellectus, voluntatis, imaginatiuæ, & appetitus sensitiui ad motum præter vel contra legem rationis; quæ inordinata inclinatio prouenit immediatè ex priuatione iustitiæ originalis, mediatè uero ex peccato: vt patet ex Concil. Trid. sess. 5. Vnde, supra vires animæ nihil addit, nisi hanc imperfectionem; scilicet, posse potentia propinquâ praueneri rationem, & moueri contra vel præter eius dictamen. Quæ imperfectio, quatenus prouenit ex ipsa nuda natura, non constituit fomitem, sed est naturalis conditio; vt ostensum est in 1. 2. tract. de Peccato originali. Verum habet rationem fomitis quatenus ex priuatione iustitiæ originalis, quæ hanc imperfectionem quodammodo sustulerat, est restituta. Simili enim modo aliæ quoque imperfectiones naturales, vt Mortalitas & Ignorantia, factæ sunt pænæ peccati originalis.

His positis; Respondeo; in Christo neque fomitem; neque vllos motus fomitis fuisse. Est fide tenendum.

Probatur Primò, Ex Scripturis citatis articulo superiore: ex quibus constat illum non potuisse peccare. At si habuisset fomitem, potuisset peccare secundum legem ordinariâ; imò reipsâ peccasset, permittendo in se prauos motus. Item, Christus est conceptus ex Spiritu sancto, & natus est ex Virgine: ergo non habuit fomitem.

Probatur Secundò, Quia Patres docent in Christo nullos fuisse motus inordinatos, quos vocamus Primò-primos. Ita D. August. de corrept. & gratia cap. 11. vbi docet in Christo non fuisse vllam pugnam carnis & Spiritus: & lib. 2. de Peccatorum meritis & remis. cap. 29. In illo erat similitudo carnis peccati, non autem caro peccati. D. Leo Epist. 11. quæ est ad Iulian. Nihil carnis suæ habebat aduersum; sensus corporei vigeant sine lege peccati. Idè docet Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. 20. & 23. Et omnes Theolog. in 3. passim dist. 15.

Probatur Tertio, In Adamo non fuissent tales motus, nec fomes peccati; & in beatis non erunt: ergo nec in Christo fuerunt. Patet consequentia; tum, quia ab initio fuit beatus; tum, quia omnem perfectionem status innocentia, quæ quidè ad virtutem pertinet, habuit.

Probatur Quarto, Fomes eiusque motus proueniunt ex peccato, & inclinant ad peccatum; vt docet Concilium Trident. sess. 5. Christus autem non est conceptus in peccato, nec vllam inclinationem ad peccatum habuit. Vnde ad Hebr. 7. v. 26. dicitur Segregatus à peccatoribus.

Probatur Quintò, Christus venit ad destruendam legem fomitis & peccati. Vt patet ad Roman. 8. ad Galat. 3. & 4. ergo non debebat assumere.

Ratio est; Quia Christus considerabat omnia, & prouidebat à quibus eius vires moueri possent; & habebat supremam circa illas potestatem: ergo

non poterat in illo vllus excitari motus, qui aut contra rationalem voluntatem esset, aut ratione proueniret.

Dices: Christus est tentatus per omnia pro similitudine absque peccato: ad Hebr. 4. v. 15; ergo etiam per motus concupiscentiæ seu fomitis.

Respondet D. Thomas infra quæst. 41. art. 1. ad 3. Negando Consequent. Quia talis tentatio non est sine peccato, saltem veniali. Sed hoc non est vniuersè verum: motus enim concupiscentiæ, si voluntas nullo modo consentiat, non sunt vllū peccatum; vt docet expressè Concil. Trid. sess. 5. In nobis tamen sæpè tales motus non sunt absque aliquo peccato; quia sæpè interuenit aliqua negligentia volūtatis in cauendis vel repellendis. Si tamen hoc motus possemus perfectè cohibere, vt non insurgerent, semper essent peccata. Vnde cum Christus possit illos perfectè impedire, absolute verum est tales motus in ipso non potuisse esse sine peccato. Et sic intellige D. Thomam. Addo; non solum propter peccatum, sed etiam ob indecentiam oportuisse vt Christus nullam tentationem internam, non solum in appetitu, sed ne in imaginatione quidem admitteret.

DVBIUM I.

Per quid sublata est inordinata inclinatio virium, & omnis inordinatus motus in Christo, cum hac in nuda natura absque peccato futura sint?

Respondeo; Primò, Per habitus virtutum, tum naturales, tum supernaturales, quibus pars superior erat conformis diuinæ legi, eique perfectè subiecta in actu primo & per habitus virtuti superuenientes, quibus appetitus inferior planè conformabatur superiori. Sed hi habitus, etsi perfectissimi in Christo fuerint, non sufficiunt vt nullus motus rationem proueniat. Ideò, Secundò loco addenda est continua superioris rationis vigilantia, per quam omnes tales motus poterat præcauere. Tertio, per facultatem quandam Animæ, quam habebat; tum quia Beata, tum quia Verbo vnita; quæ perfectissimè omnes vires Animæ, quoad vsum earum, habebat in potestate suæ voluntatis.

DVBIUM II.

An penitus fuerit impossibile, vt Verbum assumeret naturam cum fomite peccati?

Respondeo; Omnino fuisse impossibile; tum, quia fomes est inordinata inclinatio orta ex peccato, & inclinans ad peccatum; tum, quia in illa natura non poterant esse aliqui motus prauis: tales enim motus in supposito, quod illos per voluntatem superiorem potest impedire, non sunt sine peccato.

Dices; Poterat assumere naturam nudam: ergo vires equè inordinatas in actu primo, ac in nobis sunt, exceptâ culpâ. Respondeo; Negando Consequentiam. Quia in nobis, ob priuationem iustitiæ originalis, & ob naturalem imperfectionem, quæ nullo alio dono compensatur, sunt veluti proximè dispositæ ad motus prauos: at in Christo hæc naturalis imperfectio virium necessariè

Fomes quid.

Non fuit in Christo.

Nec Motus primò-primi.

10

Motus inordinati fuissent in Christo peccata.

11 Per quid fomes sublatus.

12 Affirmatur

Etiamsi fuerit natura nudam.

fariè

fariò fuisset suppleta per assistentiam diuini auxiliij, quæ illam non permisisset in malum ferri: & ita in actu primo non fuisset inordinata.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Christo fuerit Ignorantia?

13 Ignorantia, quid.

Respondetur Negatiuè, In Christo nulla fuit Ignorantia. Notandum est; Etsi humanitas Christi non sciat omnia quæ scit Deus, non tamè idè est in illà aliqua ignorantia. Nam Ignorantia proprie est carentia cognitionis, quam aliquis secundum suum statum & conditionem deberet habere. Et hanc omnem habuit Christus, vt supra q. 9. dictum est. Nam habuit omnem cognitionem naturalem, ad quam lumen naturæ se potest extendere. Habuit etiam cognitionem supernaturalem omnium diuinorum mysteriorum, futurorum contingentium, & secretorum cordis, tam in proprio genere, quàm in Verbo; & quidem ab initio conceptionis. Et hoc communiter sentiunt Patres; vt supra ostensum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Anima Christi fuerit Passibilis?

14 Anima Christi dupliciter erat passibilis.

Respondetur Tribus Conclusionibus. Prima: Anima Christi fuit passibilis passione corporali; id est, poterat affici voluptate & dolore corporis; nempe per tactum & gustum.

Secunda: Erat etiam passibilis passione animali. Nam in Christo erat appetitus sensituius, & vis imaginatrix, quæ tristitia vel læta posset apprehendere.

Tertia: Istæ affectiones aliter erant in Christo, aliter in nobis: idque quoad tria. Primò, Quia in Christo non ferebantur ad aliquid illicitum. Secundò, Non preueniebant iudicium Rationis. Tertiò, Non trahebant vmquam voluntatem.

ARTICVLVS V.

Vtrum in Christo fuerit Dolor sensibilis?

15 Fuit in eo dolor sensibilis.

Respondetur affirmatiuè. Ratio est; Quia in ipso erat læsio corporalis, quæ est obiectum doloris. Item fuit sensus læsionis, qui est veluti applicatio obiecti. Atqui his positis necessariò in appetitu resultat dolor.

In Responsione Ad primum, Notandum est; Etsi Caro Christi secundum se passibilis fuerit, & subiecta necessitati patiendi, tamen hoc nullo modo redundabat in ipsum Verbum, nisi per communicationem idiomatù. Verbum enim manebat in se omnino impatibile, imò ipsa quoque caro, quatenus vnita Verbo, intrinsecà vi suà quodammodo impatibilis erat; ita vt flagella, ceteraque externæ impressiones non possent dolorem excitare, nisi Christus illum sponte admit-

teret. Et hoc vult Hilarius lib. 10. de Trinitate, vt rectè D. Thomas exponit. Vide eundem in Hilarium in Psalm 68. in principio, vbi sic ait: Vniuersarum igitur passionum humanarum sorte persunctus, secundum susceptas infirmitates nostras laquitur; & dolet ipse quidem extra necessitatem timoris positus & doloris; sed his tamen se quæ suscepit accommodans, &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit Tristitia?

Respondetur Affirmatiuè, fuisse Tristitiam in appetitu sensituiò, Ratio est, Quia tristitiæ obiectum, est malum aliquod, sensu interiori apprehensum, vt noxium. Atqui Christus sic poterat apprehendere quædam mala, tum sua; vt passionem & mortem: tum aliorum; vt peccatum Iudæ, afflictionem discipulorum &c. Neque huic tristitiæ obstabat gaudium visionis beatificæ; quia hoc non sinebatur in appetitum inferiorem exuberare; vt ait Diuus Thomas in Corpore. Sed est

16 Tristitia in appetitu sensituiò

D V B I V M.

Vtrum in eius Voluntate fuerit Tristitia?

Respondetur; Omnino certum est, etiam in voluntate seu appetitu rationali tristitiam fuisse, & non solum in sensituiò. Est communis Doctorum dist. 15. vbi Scotus, Duran. Gabriel: vel dist. 16. vbi Gabriel. Idem tenet D. Thomas hic, & infrà quæst. 18. art. 6.

17 Habuit Tristitiam in voluntate rationali.

Probat, Matth. 26. v. 38. Tristis est Anima mea vsque ad mortem. Quod potissimum intelligendum est de tristitiâ voluntatis; vt patet ex Synodo VI. act. 4. & 11. Vbi ex hisce verbis probatur in Christo fuisse humanâ voluntatem. Idem docent Patres: Hilarius canone 31. in Matth. & Hieronymus in caput 26. Matthæi, vbi explicant causas ob quas Christus doluit; scilicet damnationem Iudæ, Petri negationem, scandalum Apostolorum, & similia. Quæ omnes ad voluntatem pertinent, imò aperte dicunt illum non esse tristatum ob mortem; quod intellige principaliter: fuit tamen secundaria causa. Et ratio est; Quia in Christo fuerunt omnes defectus naturales innoxij, seu inculpati; vt ait Damascenus l. 3. c. 20. Atqui naturalis tristitia, etiam voluntatis, est defectus quidam non repugnans perfectioni gratiæ & scientiæ; & magis conferens ad redemptionem nostrâ, quàm tristitia partis sensituiæ: ergo non minus est hæc ponenda, quàm illa. Deinde; Quia Christus per voluntatem ipsam, quatenus natura est, horrebat & fugiebat mortem; vt infrà dicitur. Atqui ex hoc naturaliter sequitur tristitia in eadem voluntate.

Vide l. 2. de Summo Beato c. 18.

Sed contrà Objicitur: Voluntas fruebatur summo gaudio beatitudinis: atqui cum summo gaudio non potest consistere tristitia in eadem animæ parte: ergo &c.

18 Quomodo Tristitia in summo gaudio potest consistere.

Respondet Melchior Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 14. Christum tempore passionis miraculo suspendisse gaudium beatificum, vt perfectè posset tristari. Sed hæc sententia non est probabilis, vnde passim ab omnibus rejicitur.

Canus sententia reijcitur.

Primò,

Primò, Quia est contra communem sententiam Theologorum etiam ipsius D. Thomae quaest. 46. art. 8. Secundò, Quia certum est Christum à principio conceptionis, secundum animam fuisse beatum; ut supra q. 9. a. 2. ostensum est. At beatitudo includit fruitionem. Respondet Canus includere fruitionem, sed non gaudium: quare gaudium potuisse abesse à beatitudine. Sed hoc non rectè dicitur, tum, quia fruitio & gaudium in voluntate idem sunt; ut alibi ostensum est: tum, quia quidquid hac de re sit, gaudium, saltem est proprietas quaedam beatitudinis, ex ea necessariò manans; sine qua, beatitudo est omninò mutila: perinde ac si anima rationalis careret mente. Tertiò, Quia oporteret ut Christus totà ferè vità suà caruisset gaudio beatifico. Nam summo gaudio, non solum summa tristitia, sed etiam qualibet minima repugnat. Christus autem ferè semper aliquà tristitià, & quidem satis magnà, affectus erat. Nam semper hominum peccata, & damnandorum multitudo, & suppliciorum immanitas, illi ob oculos versabantur. Ob quæ multum credibile est fuisse contristatum.

lib. 2. de summo bo. no c. 15.

19 Caiet. re. fellis.

Vnde Alij respondent aliter; fuisse gaudium in portione superiore voluntatis, tristitiam verò in portione inferiore eiusdem potentie. Insinuat D. Thomas infra quaest. 46. art. 7. & 8. & apertè Caietanus ibidem; & Henricus à Gadauo Quodlibeto 8. q. 7.

Sed hæc Responsio non satisfacit: Primò, Quia portio superior & inferior in vnà voluntate, solum ratione differre videntur. Et quamvis fortè esset aliqua differentia formalis, parum ad rem faceret; nam difficultas superest, quomodo fieri poterit, ut vna eademque potentia, plena fuerit gaudij & mæroris.

Secundò, Etiam in portione superiore voluntatis tristitiam patiebatur, ut rectè Scotus, Bonaventura & Gabriel docent. Quod patet; Quia non solum de malis temporalibus, vel corporis passione, quæ ad rationem inferiorem pertinent, sed potissimum de peccatis hominum, de lapsu Iudæ, negatione Petri, duritià Iudæorum eorūque reiectione, tristatus est; ut docent Patres, Hilarius & Hieronymus supra, Ambrosius in c. 22. Luca, & Augustinus serm. 117. de tempore. Vide Ianssenium in cap. 137. Concordiæ. Atqui hæc ad rationem superiorem pertinent.

Ratio dolendi alia est in Parte superiori, alia in inferiori.

Confirmatur; Quia dolebat de peccatis, ut sunt offensio diuina: atqui hoc maximè est portio superioris. Quando enim ratio dolendi vel amandi est portio superioris æterna considerantis, etiam dolor & amor ad rationem superiorem pertinent, quamvis obiectum materiale sit quid temporaneum: ut patet ex dictis 1. 2. q. 74. Vnde etiam actus contritionis ad rationem superiorem pertinet.

D. Thomas explicatur

Neque obstat D. Thomas locis citatis. Quia non negat Christum esse passum tristitiam in ratione superiore: sed solum negat rationem superiorem passam esse tristitiam ab obiecto suo, quod est Deus: quod verissimè negatur.

Tristitia hæc non fuit Christo inuoluntaria

Aduerte tamen, in ratione superiore nullam fuisse tristitiam, quæ illi patri fuerit inuoluntaria. Omnis enim illa tristitia fuit ob alias rationes superiores volita eadem voluntate creatà; imò etiam obiectum eius, spectatis omnibus circumstantijs, vel volitū fuit, ut passio & mors; vel sal-

tem voluntariè permittit, ut hominum peccata. Vnde nunquam ita fuit tristatus ut nos tristamur, quibus tristitia & obiectum eius est omninò inuoluntarium.

Dicendum ergo est: Etsi gaudium & tristitia generatim sint affectiones aliquo modo repugnantes; tamen nisi versentur circa idem obiectum, & sint propter idem motiuum, non sunt proprie contraria. Vnde simul esse possunt; ut patet in tristitià conceptà ex offensione Dei, & gaudio de honore diuino. Itaque cum Christi tristitia, eiusque gaudij non versarentur circa idem, vel saltem non ob idem motiuum, non erant contraria: gaudebat enim de bonis Dei, & suis, & suorum electorum; tristabatur autem de malis contrarijs; ut de morte suà, de peccatis hominum, eorumque damnatione. Nec obstat, quòd etiam de eadem morte gaudebat; nam ob aliam rationem gaudebat, ob aliam tristabatur: tristabatur enim de illà, quatenus erat malum naturæ valdè acerbum; gaudebat verò, quatenus illa erat futura causa tantorum bonorum. His addè; Etsi gaudium & tristitia imperfectè simul esse possint, ut experimur; tamen ob illam repugnantiam, quam habent in genere, etsi non versentur circa idem, nec ob eandem rationem, non potest cum summo gaudio esse aliqua tristitia. Quare diuinà virtute factum est, ut in voluntate Christi, simul fuerit summum gaudium cum summa tristitia, ita ut alterum non impediret alterum.

20 Perior. in. tenia, quod simul in Christo fuerit Gaudium & Tristitia.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Christo fuerit Timor?

Respondetur; in Christo fuisse Timorem. Vt patet Marci 14. v. 33. *Capit pauere, & tedere.* Vbi Græcè est, ἐκ δὲ αὐβειδῆαι καὶ ἀδύκνοειν; id est, quasi obstupescere præ magnitudine mali impendentis, & tamquam inops consilij, extremè angere. Quæ verba satis etiam indicant ingentem timorem. Ratio est; Quia in ipso erat apprehensio ingentis mali iam imminentis: atqui hæc apprehensio naturaliter parit timorem.

21 Tui in o. Timor.

Dices Primo, Timor videtur pugnare cum excellentissimà Christi fortitudine, quæ reddit hominem impaudum. Secundò, Quia D. Augustinus expositione secundà Psal. 21. dicit Christum non verè timuisse pati, cum sciret se die tertii resurrecturum; sed propter membra sua, verba illa protulisse quæ timoris speciem præ se ferrent. Similia habent D. Hilarius can. 31. in Matth. & lib. 10. de Trinitate in principio, & D. Hieronymus in caput 26. Matth. Tertiò; Timor est de malo quod vitari potest, & aliquo modo est incertum. Atqui sciebat omnia mala futura, eaque iam esse inuitabilia ex diuinà ordinatione.

Tres obiectones.

Respondo; ad Primum, Timor inuoluntarius & necessarius repugnat tantæ fortitudini, non autem timor voluntarius, quem facillimè potuisset excutere, si voluisset. Hinc patet Responsio ad Secundum, Loquuntur enim Patres de timore inuoluntario seu necessario: non enim timuit mortem vili illo timore, qui inuoluntarius est; & cum imbecillitate coniunctus: nam ipse extra necessitatem timoris positus erat, ut ait D. Hilarius.

Timor voluntarius non repugnat fortitudini.

rius. Potuisset enim se sine timore, morti offerre. Sed nostrâ causâ hûc affectû assumere voluit; quia ad nostram ædificationem & satisfactionem pertinebat. Ad Tertium, Non est de ratione timoris, vt sit incerti mali; sicut nec de ratione spei, vt sit incerti boni: vt patet in animabus purgatorij; satis est vt malum apprehendatur tamquam futurum & imminens. Si tamen apprehendatur certò futurum, non nascetur timor efficax, qui molitur euasionem, sed inefficax per modum velleitatis, & simplicis fugæ, seu abhorritiois. Quomodo is qui iam est moriturus, desiderat vitam & timet mortem. Est enim contractio quædam seu fuga appetitûs à malo abhorrentis. Hinc etiam nascitur quædam tristitia; malum enim certò imminens, reputatur quodammodo præfens. Vnde hic timor est fundamentum cuiusdam tristitiæ; non enim est idem quod tristitia. Vnde quod D. Thomas ex Aristotele ait, Apprehensionem mali certò futuri, non inducere timorem; intellige de timore efficaci, qui molitur euasionem.

In quo cõ-
stitat ratio
Timoris.

ARTICVLVS VIII.

Utrum in Christo fuerit Ad-
miratio?

R Espondetur Affirmatiuè. Et Patet Matthæi 8. v. 10. *Audiens Iesus fidem Centurionis, miratus est.* Quæ verba propriè intelligi possunt. Ratio est; Quia eius cognitioni poterat aliquid offerri, quod esset ei magnum & insolens: atqui hoc est obiectum admirationis.

22
Admiratio

Vnde nas-
catur.

Notandum est; *Admirationem* propriè videri esse actum intellectus, quo quis iudicat rem aliquâ superare suam opinionem, vel apprehensionem; vel esse insolitam respectu suæ experientiæ. Idem enim videtur esse, dicere: *admiror* hanc rem. Et dicere: hæc res est mihi valdè insolens; scilicet respectu meæ experientiæ & scientiæ. Hinc nascitur amor inhærendi rei per cognitionem, vel etiam vterius perscrutandi; nisi sit incomprehensibilis: tunc enim nascitur fuga curiose scrutationis. Signum huius est, quia possumus admirari sine vlllo timore aut fugæ appetitûs: ergo admiratio non est timor. Sed nec potest alius actus appetitûs assignari, qui necessariò sit in admirante,

præter amorem contemplationis illius rei; qui tamen Amor non est ipsa admiratio; Nam admiratio pperit amorem Sapientiæ; vt ait Aristot. in Metaphysicis. Deinde; hic amor non est semper necessarius; vt cum admiramur perfidiam aut malitiam alicuius hominis. Est igitur *Admiratio* actus intellectûs. Nec obstat quòd D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. admirationem faciat speciem timoris; quia admiratio interdum accipitur pro suo effectu, qui aliquando est quidam timor; nempe fuga scrutandi id, quod est inscrutabile. Miratus itaque est Christus fidem Centurionis, quia etsi ipse cognitioni infusè non esset noua, tamen ipse experientiæ insolens & noua erat tanta fides, cum tantam in Israël non esset expertus. Sicut Astrologus videns Eclipsim, quam antea numquam expertus erat, miratur; quamuis ratione eam antea nouerit.

Quomodo
Christus
si admira-
tus fidem
centurio-
nis.

ARTICVLVS IX.

Utrum in Christo fuerit Ira?

R Espondetur affirmatiuè. Marci 3. v. 5. *Circumspiciens eos cum ira.* Ratio est; Quia fuit in ipso appetitus repellendæ iniuriæ, sibi & Patri illatæ. Vnde etiam poterat sanguis & spiritus citari circa cor. Atqui hoc est ira. Vide D. Tho.

ARTICVLVS X.

Utrum Christus simul fuerit Via-
tor & Comprehensor?

R Espondetur affirmatiuè. Notandû est Christum ab initio conceptionis fuisse Comprehensorem, seu vidisse diuinam essentiam; vt ostensum est suprâ q. 9. a. 2. & q. 10. Quòd autem simul fuerit Viator; Patet Primò, Quia secundum corpus non erat beatus, nec etiam secundum omnes animæ potentias; sed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod est viatorum. Secundò; Quia & corpore & animo erat passibilis. Tertiò; Quia sibi & alijs poterat mereri. Sibi, gloriam corporis, & nominis exaltationem: alijs, gloriam animi & corporis. Atqui mereri est proprium munus viatoris.

24
Viator.

Q V Æ S T I O X V I.

De consequentibus vnionem quantum ad ea quæ conueniunt Christo secundum esse & fieri.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. & II.

Utrum hæc sit vera: Deus est homo?
& Homo est Deus?

R Espondetur; ytraque est vera. Patet ex omnibus ijs, quibus suprâ q. 2. a. 2. & alibi, probatum

2

I
Communi-
catis idio-
matum.

A Gitur hæc quæstione de communicatione Idiomatum, quâ proprietates Dei, tribuuntur homini; & proprietates hominis, tribuuntur Deo. Cuius communicationis tota ratio est, quòd vna eademque persona verè & propriè sit Deus & homo.